

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> SOLEMNIS  
DE  
**COMMVNIONE**  
**BONORVM INTER**  
**CONIVGES EIVSQVE**  
**EFFECTV**  
**PRAESERTIM**  
**SECUNDVM IVRA LVBE<sup>C</sup>ENSIA,**  
QVAM  
EX DECRETO AMPLISSIMI IC<sup>T</sup>ORVM ORDINIS,  
PRAESIDE  
**DN. FRANCISCO ER-**  
**NESTO VOGT,**

I. V. D. INSTITVT. ET PRAXEOS IVRIS PROFES-  
SORE, CONVICTORII DVCALIS INSPECTORE  
ET COLLEGII IVRIDICI H. T. DECANO,

PRO LICENTIA  
SVMMOS IN IVRE HONORES ET PRIVILEGIA  
DOCTORIS CONSEQVENDI

PUBLICO ERUDITORVM EXAMINI SVBMITTIT  
AD D. XI. FEBR<sup>V</sup>ARII MDCC XXII

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS  
IN AVDITORIO MAIORI

**HENRICVS WILHELMVS**  
**SCHUMACHER, LVBE<sup>C</sup>.**  
REGII DICASTERII RATZEBVRGENSIS  
ADVOCATVS ORDINARIUS.

KILIAE, LITTERIS HAEREDVM B. REV<sup>T</sup>HERI.

1722,2

6//

72

VIRO  
ILLVSTRI ATQVE MAGNIFICO  
**DN. ADOLPHO MAT-  
THAEO RODDE,**

I.V.L. LIBERAE IMPERIALIS REIPVBЛИCAE LV-  
BECENSIS CONSULI PRIMARIO SPLENDIDISSIMO,

ITEM QVE

**VIRIS**

NOBILISSIMIS, CONSVLTISSIMIS ET AMPLISSIMIS

**DN. IOHANNI SCHAEVIO,**  
I.V.D. DICASTERII REGIO-ELECTORALIS IN DV-  
CATV SAXONIAE INFERIORIS ADSESSORI, AC  
REIPVBЛИCAE LVBESENSIS PROTQ - STNDICO  
GRAVISSIMO,

**DN. HERMANNO SCHAEVIO,**  
SERENISSIMO MECKLENBURGENSIVM DVCI  
A CONSILIIS AVLICIS MERITISSIMO,

**DOMINIS, PATRONIS AC COGNATIS SVIS**

deuoto animi cultu perpetuaque  
obseruantia prosequendis.

D. D. D.

**Henricus Wilhelmus  
Schumacher.**



§. I.



Vm rerum quidem potior, verborum  
autem prior semper habenda sit ra-  
tio, vtile omnino quin neceſſe fer-  
me erit, vt de communione bono-  
rum dicturus communionis verbum

paucis prius explanem. Commu-

nio autem non a *munus*, *eine Gabe oder Amt*, vti qui-  
dam volunt, sed a voce *vno ac praepositione cum for-*  
*mata*, & vi vocis nil aliud denotare videtur, quam  
quod vel plures diuersaeque *res* ita vniuantur, siue  
vnitae sint, vt vnum indiuisum constituent; vel  
etiam plures *homines*, respectu rerum quarundam, si-  
ve juris & obligationis ad illam siue ex illa re vnicui-  
que indiuiduo pari ratione competentis, vno eodem  
modo considerentur vnumque quasi corpus ef-  
ficiant. Adeoque communio consideratur vel ratio-  
ne rerum, quarum scilicet plures homines sunt par-  
ticipes, \* vel ratione plurium hominum, qui nimi-  
rum ad rem siue in re quadam aequale jus habent:  
\*\* Quae tamen distinctio propter arctissimum, qui  
inter istiusmodi res & homines est, nexum attendi  
semper nec solet nec potest. Interim ex jam dictis

A

satis

satis constare & colligi poterit, quid communio, commune, siue res communis apud varios autores scriptoresve pro qualitate adiecta significet. Et communio quidem in jure Naturae & Gentium distinguitur in *negatiuam* & *positiuam*: illa denotat jus quod omnibus hominibus vtpote natura aequalibus in res creatas competit, & negativa inde dicitur, quod neget excludaque omne dominium adeoque vniuerso generi humano jus aequale tribuat: *Positiua* autem communio definitur per communicacionem dominii & omnium jurium exinde enatorum inter plures, qua alter eorum alterum excludendi jure destituitur. \*\*\* Atque haec duo communionis genera vno nomine *publicam* & *naturalem* communionem vocant, eoque ipso a priuata & ciuili distingunt, quae scilicet inter ciues vel priuatis pactis, vel incidenter absque conuentione hominum, vel etiam *legibus* aut *statutis* fieri solet, & *bonorum* communio generaliter vocatur. Quarum prima species a voluntate pacientium dependet; altera casui vel fortunae tribuenda, vtpote si e. g. plures hereditatem aliquam, siue legata, siue rem quandam dono accipient, qui communes heredes, communes legatarii, communes donatarii inde dicuntur \*; tertia vero ex arbitrio LLtorum s. statuentium dijudicanda est, vtrum scilicet communio vel *omnium* vel *quorundam* saltim *bonorum* sit, & quosnam effectus illa producat? quorum in primis pertinet illa, de qua impraesentiarum commentaturi sumus, bonorum inter conjuges communio. \*\*

\* Vnde

\* Vnde dicuntur communia documenta, sensus communis, domus, fundus, hereditas, seruus communis, commune lucrum, damnum commune, item die *gemeine Land-Straßen, gemeine Weide, &c.*

\*\* Sic e. g. Sacra *eucaristia* vocatur communio, *die Gemeinschaft des Alters*, vulgo *die communion*, propter communionem corporis & sanguinis Christi & quod huius christiani omnes sint participes, indeque communionem quandam, *die Gemeinschaft der Heiligen dictam*, constituant. i Corinth. X. 16. seqq. Et *ius commune* dicitur vel de jure gentium, quo scilicet omnes gentes, vel de jure huic illiue ciuitati proprio, quo vniuersi ciues vtuntur. item *das gemeinsche Beste siue der Gemeine Nutze*, quo omnes ciues fruuntur, & cui der priuat-Nutzen, quo vnuus vel alter gaudet, opponitur.

\*\*\* De negatiua & positiva rerum communione plura eleganter scripta vide ap. Georg. BEYER ad ff. lib. I. tit. 8. pag. 62. seqq. vbi etiam de communione illa rerum siue bonorum, quae inter primos Christianos fuit, mentionem facit eamque ad communionem positivam refert. Ceterum jure naturali *communia & publica* eodem sensu dicebant veteres, sicuti etiam res priuatas singulorum, quae innoxiam & concedenti haud grauem utilitatem habent, e. g. ignem de igne, lumen de lumine sumere, communes appellabant, de quo Gerard. NOODT *Probab. juris lib. I. c. 7.*

\* Hanc communionis speciem, distinguendo scil. ab illa, quae ex societate ab hominibus contracta fluit, *communionem sine societate* vocant. conf. S. 4. I. de oblig. quae ex quasi contr. & L. 52. S. 6. ff. pro socio.

\*\* Plura de significacione vocis *commune*, *communio*, vide in Io. CALVINI *Lexico jurid.* conf. GRONOVIVS in *notis ad A. Gell. lib. 13. cap. 8.* verba *in rebus communibus noscendis.*

## §. II.

Porro animaduertimus, de societatibus & sociis  
semper dici, quod in illa siue inter illos bonorum sit  
communio. Quapropter paucis etiam inquirendum  
hic erit, quomodo differant *societas* & *communio*? So-  
ciatum vero genera omnia si consideres, e.g. socie-  
tates siue ita dictas res publicas, item societates ciui-  
les, vti herilem, coniugalem, paternam, nec non re-  
liquas societates omnes, vel certae alicuius rei, nego-  
tiationis, vel alia quauis de causa inter homines fieri  
solitas; Nulla certe illarum est, neque socii intelligi  
quidem possunt, nisi cum quadam communione re-  
rum vel bonorum vel iurium; adeoque recte asse-  
ritur, *societatem sine communione esse nunquam*, & hoc  
respectu communio vocari potest *conditio sine qua non*.  
Quod si itaque duo haec, societatem & communio-  
nem, in genere spectemus, eaque sibi inuicem con-  
tra distingue velimus, dicendum erit, *societatem po-*  
*tissimum respicere homines in communione quadam*  
*rerum, bonorum vel iurium constitutos, communio-*  
*nem vero in primis de rebus, bonis vel iuribus, so-*  
*ciosis æqualiter competentibus, intelligendam esse*.  
Propter societatem enim res quaedam dicuntur com-  
munes, &c propter communionem rerum, quae est  
inter hos illosve homines quoquo modo coniunctos,  
hi habentur & dicuntur socii. Ut proinde accu-  
rate loquendo recte etiam dicamus, quod *nulla sit siue*  
*intelligi poscit communio sine societate*, & quod communio  
semper societatem quandam supponat. Et licet qui-  
dem communio interdum dicatur esse absque socie-  
tate,

tate, \* hoc ipso tamen non tam communio societati opponitur tanquam contraria, quam potius diversi societatis ineundae modi ab inuicem distinguuntur. Vnde etiam si istiusmodi communio casu & nullo aceedente hominum facto existat, id ipsum *societas* quoque & quidem *incidentis* vocatur, hacque ratione a *societate conventionali* tantum distinguitur. \*\* Et socii etiam dicuntur, qui quomodocunque aliquid commune inter se habent vel possident: Sicut e.g. communium praediorum dominos socios appellat PAVLVS in L. 19. & PAPINIANVS in L. 34. ff. de seruoit, *praed. rustic.*

\* Vnde in iure Lub. p. 3. tit. 13. von *Gemeinschafft obne Gesellschaft*.

\*\* Huc quoque pertinet, quando iure Lub. p. 3. tit. 9. art. 5. die *Gesellschaft aller Güter* contra distinguitur *der Gemeinschafft*, que scilicet sit inter patrem & matrem, sorores & fratres, vbi tamen in fine d. art. hi etiam *Gesellschafter* vocantur conf. art. 3. ibid. Et cum in societatibus in primis consideretur communio bonorum indeque oriundum lucrum vel damnum, hinc d. art. 5. socii cum epitheto dicuntur *Gemeine Gesellen*, & bona illorum *Gemein Gui* in iure Hamb. p. 3. tit. 10. art. 13. quin imo societas ipsa etiam *Gemeinschafft* ibid. art. 4. & 9. vel cum adiecto *Gewerbs* *Gemeinschafft* a GAILO obf. lib. 2. cap. 24. n. 1. vocatur.

### §. III.

De bonorum autem communione inter coniuges dissertero mihi primo statim initio in mentem venit, quod *communio* non dici solum, sed saepius quoque esse soleat *mater discordiae*. Adeoque, cum

A 3

omni

omni omnino studio id curandum sit, ut coniugalis amor & concordia sarta semper ac tecta seruetur, omnisque rixarum atque discordiae materiae medio tollatur; hinc illa etiam bonorum communio societati coniugali non conuenire, & propterea quidem plane improbanda videtur. Verum enim vero arctissimum illud inter coniuges amicitiae vinculum huiusque fundamentum, corporum scilicet animorumque unionem, nobiscum reputantes, affirmandum potius censemus, huic amicitiae generi nihil magis conueniens esse, quam ut inter istiusmodi amicos, individuo nexus iunctos, fortunae etiam siue bona sint communia,\* licet non absolute quoad dominium aut proprietatem, attamen quoad *vsum & possessionem*.

\* Conf. STRYKIVS in *Vl. mod. ff. lib. 23. tit. 2. §. 90.*  
item in *Diss. de iurib. singularibus connubiorum in Germania*, hab. Halae 1709. cap. 2. §. 19. MEVIVS ad *Jus Lub. P. I. tit. 5. art. 5. n. 10. seqq.*

#### §. IV.

Et talēm quidem communionem apud veteres etiam Romanos olim in usu fuisse, ex *Cicerone*, *Plutarcho*, *Dionysio Halicarnasseo*, & haud obscure quoque ex ipso iuris civilis corpore satis constat. \* Quae tamen deinceps, multiplicatis nimirum in republ. hominibus, crescentibus subinde etiam diuitiis, indeque luxuria, habendi cupidine, nec non pluribus inter ipsos quoque coniuges adulterii in primis, beneficii aliisque vitiis ac criminibus, & frequentioribus hinc diuortiis existentibus, paulatim in desuetudinem venit;

nit; dum mariti, ad eo melius sustinenda matrimonii onera, dotes, & vicissim vxores, in securitatem dotium, donationes ante nuptias stipulandas sibi curauerint, siveque sua quiuis coniugum separata & ab alterius diuersa habere cooperint bona, ita ut nulla haberentur communia, nisi quorum usus cohabitationis causa promiscuus vel esset vel esse deberet.\*\*) Interim tamen non prohibitum, sed omnino licitum semper fuit, omnium bonorum communionem inter coniuges fieri, arg. L. 16. §. fin. ff. de alim & cibar. legatis. iung. L. 17. §. I. soluto matrim.

\* Lectu maxime digna sunt, quae hac de re Gerard. NOODT, Ictus celeberimus, instituta comparatione matrimonii cum amicitia, mariti cum patre & vxoris cum filia, differit. *Probabil. lib. 2. cap. 9.* Quibus addit L. 22. §. 7. ff. *soluto matrim. l. 4. C. de crim. expil. heredit.*

\*\* Conf. Henr. BROVWER *de iure connubiorum lib. I. cap. 8. n. 3. seqq.*

### §. V.

Veteres Germanos quod attinet, nemo certe antiquarum rerum gnarus in dubium vocabit, eos quam maxime arctum sanctumque coniugii vinculum, adeoque coniuges omnia etiam inter se habuisse communia. Nimurum antiquissimis quidem temporibus viri vxores vel a parentibus earum, vel propinquis vel tutoribus certo quodam pretio\* quasi emebant, ipsoque nuptiarum die novus maritus iunctos boues & frenatum equum & scutum cum tramea gladioque novae nuptiae, atque haec vicissim etiam

etiam armorum aliquid marito muneri dabant; Et sic quidem matrimonium ipsum contrahebant, seque suaque inter se communicabant noui coniuges. \*\* Sicut de priscis etiam Gallis, Germanorum finitimi, memoriae prodidit Iulius CAESAR *de bello Gall.* lib. 6. cap. 19. *Viri*, inquiens, quātas pecunias ab uxori- bus dotis nomine acceperunt, tantas ex suis bonis, aestima- tione facta, cum dotibus communicant. Huius omnis pe- cuniae coniunctim ratio habetur, fructusque seruantur. Vter eorum vita superarit, ad eum pars utriusque cum fructibus superiorum temporum peruenit.

\* Quale pretium TACITVS lib. de morib. Germ. cap. 18. dotem appellat, verbis: *dotem non vxor marito, sed uxori maritus offert.* Et eiusmodi quidem pretium nuptiale siue dos a viro sponsae siuae posterioribus quo- que temporibus sub Regibus de stirpe Merouingica dari constitutive solebat & deinde sub Carolingis debebat, vti docet THOMASIVS in diff. de vsprrāt. doctr. Institut. de nuptiis hab. Halae 1713. cap. 2. §. 3. 4. Atque ab hocce nuptiali pretio, quanti scilicet sponsa quasi aestimaretur, vox illa *Braut-Schatz* nomen ha- bere videtur.

\*\* Quod ipsum satis innuit TACITVS l. c. verbis: *In- tersunt parentes & propinquai ac munera probant: munera non ad delicias muliebres quaesita, nec quibus noua nuptia comatur, sed boues &c. Hoc maximum vinculum, haec arcana sacra, hos coniugales Deos arbitrantur. Ne se mulier extra virtutum cogitationes, ex iraque bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur, ve- nire se laborum periculorumque sociam, idem in praelio passaram, ausuram. Haec iuncti boues, hoc paratus equus, hoc data arma denunciant.*

§. VI.

## §. VI.

Postea quoque quum Germani, continuarum fere expeditionum bellicarum pertaesi, certas sibi sedes figere, agrum quisque suum colere, cum extensis & transmarinis etiam gentibus commercia insti- tuere ac mercaturaे operam dare inciperent, hac que occasione & habendi cupidine & luxu, magis du- cerentur: Cumque peregrinum etiam illud jus Iusti- nianeum in scholas & fora Germaniae paulatim in- troduceretur, indeque doctrina de dote mulierum aliisque diuersis conjugum bonis innotesceret; mu- lieres quidem non arma saltim quaedam, ut olim, sed, quae ad rem domesticam opus essent, suppellestilia siue utensilia & potissimum quoque pecora,\* ac praeterea romanorum more certam etiam dotem in domum mariti inferebant. Quae bona cum noui mariti bonis sic quasi confundebantur siebantque com- munia.\*\* Et generatim quidem heic quoque no- tandum, quod apud Germanos quondam sponsus sponfaque vel per pacta dotalia eaque successoria com- munionem bonorum constituerint, vel etiam in con- trahendis nuptiis certis quibusdam ritibus & verbo- rum formulis e. g. *Sie setzten Hut bey Schleyer und Schleyer bey Hut, item Leib an Gut, & Gut an Gut,* vel symbolis, seras scilicet & claves tradendo, vni fuerint, quibus rei domesticae administrandae potestatem marito vxorique communem, simulque omnium rerum communionem inter coniuges fieri &, si sine liberis moriantur, se inuicem successuros esse, significauer- int.\*\*\* Atque isthaec inter coniuges bonorum com-

B

mu-

munio successu temporis per publicas leges aut statuta magis stabilita, &c, prout huic vel illi reipublicae commodum visum fuit, certis limitibus circumscripta ac determinata est, adeoque pluribus in Germania locis & in primis quoque hisce in regionibus earumque ciuitatibus seruata adhuc hodie viget, quod ex statutis Slesuicensi, \* Flensburgensi, \*\* Hamburgensi, \*\*\* Lubecensi, \*\*\*\* aliisque satis constat. Missis autem reliquis, occasione ultimi illius statuti, Lubecensis scilicet, de communione bonorum inter coniuges speciatim quaedam commentari animus iam est.

\* Qualia bona a Germanis, Anglis, Gallis, Hispanis aliisque vicinis gentibus non dos, sed maritagium, rada siue gerada ( a voce *Gerächt*, vnde die *Tochter bedaden*, *ausdraden* ) item phaderphium, quasi *Vater-Vieh*, & deinceps *Tochter-Gut*, *Ausfleur*, *Mitgriff* vocatasunt. Vid. Ioh. Henr. BERGER diff. de discriminis bonorum *uxoris*, hab. Vitemb. 1709. §. 18. Georg. BEYER adff. tib. 23. tit. 3. in notis post positi. 7. p. m. 432. ibique all. SCHILTERVS. Unde etiam adhuc hodie apud rusticos praesertim moris est, quod pecudes quasdam e.g. vaccas, oves, item arcas vel currus variis suppellectilibus impletos, *Braut-Wagen*, *Braut-Kästen*, sponsae vel nouae nuptiae ad maritos afferant.

\*\* Quod ipsum res geradicae, morgengaba, cibaria, vt & portiones statutariae, post mariti obitum vxoribus competentes, satis nos docent.

\*\*\* Hac de re vid. Jo. Georg WERNERI diff. inaugural. de partis dotalibus sub formula: *Hut bey Schleyer und Schleyer bey Hut*, hab. Marpurgi 1714. §. 7 - 11.

\* Quod originem forte autoritatem suam debet Dano-

norum Regi Sueno, Suein sive Swen, qui sec. XII. vivit & fuit filius Erici Regis, de quo HELMOLDVS in *Chronica Slavor.* cap. 52. p. m. 115. & cap. 68. pag. 141. seqq.

\*\* Der Börger Recht rho Flensborg inscribitur & conditum est anno 1284.

\*\*\* Hoc itidem seculo XIII. conditum esse perhibetur.

\*\*\*\* Huius quidem prima origo ac autoritas communiter adscribitur Imperatori Friderico I. sive Barbarossa: sed falso. Quamvis enim hic Lubecensibus sive Burgenibus de Lubeke, priuilegia quaedam & iura concesserit atque praescriperit; Ex eiusdem tamen priuilegio de dato apud Castrum Lizenize 13. Calend. Octobr. anno 1188. constat, quod ciuitas haec peculiaria sua iura iam ante habuerit, dum in ipso isto priuilegio iuris sui emendationem Burgensisibus concessit. Quod si vero potestatem condendi statuta species, hanc non Fridericus I. sed huius nepos Fridericus II. Imperator in priuilegio sub dato 1226, mense Junii, ipsis simul concessit, dum ciuitatem Lubecensem liberam & specialem imperii ciuitatem fecit.

### §. VII.

Definimus autem communionem bonorum inter coniuges, quod sit mutuum aliquod ius conjugibus in bona concessum, legibus vel statutis definitum & certos quosdam effectus producens. Ex qua definitione sive descriptione omnes simul distinctiones, quibus coniugalis bonorum communio vel ab aliis communiorum & societatum generibus, vel etiam ratione suae ipsius discernitur, per se fluunt atque patent. Et simpliciter tantum diximus in bona; cum vel omnia, vel quaedam saltim bona in communionem hanc venire possint, \* secundum cuiusvis loci iura vel statuta

B. 2

tuta; proindeque statim addidimus, quod communio isthæc legibus sive statutis sit definita: Eoque ipso illam ab ea bonorum communione distinximus, quae ex dudum recepto Germanorum more per pacta doctala fieri ac definiri solet. Tandem vero in definitione adiicitur, communionem illam certos quosdam producere effectus, quoniam ex effectibus maximam partem diiudicanda est communio, \*\* & effectus in primis considerandi sunt: certos autem quosdam effectus diximus, quod illi non semper & ubique iidem sint, & in legibus vel statutis plerunque exprimantur, vel etiam per argumentationes exinde sequuntur.

\* Vnde distinctio inter communionem *omnium bonorum* tam hereditariorum quam acquisitorum, tamque ante matrimonium quam hoc durante aduenientium, & quorundam sive eorum tantum bonorum, quae respectu matrimonii & ex animi proposito ac destinatio communia sunt. Quorum illa *universalis*, haec *particularis* non incommodè dici potest.

\*\* Et ab effectibus distinguitur communio in *veram* sive *plenam*, qua scil. bona quoad dominium sive proprietatem & possessionem simul sunt communia, & *analogicam* sive *honorariam*, qua bona quoad usum & possessionem tantum sunt communia & quae proinde *visualis* etiam a nonnullis vocatur.

### §. VIII.

Qualis bonorum inter coniuges communio secundum ius sive statutum Lubencense obtineat? Quæstio est ab aliis multum iam agitata, quemadmodum vel ex ampio illo M E VII commentario *ad ius Lub. P. I. tit. 5. art. 5. n. 15. seqq.* satis abunde constat, vbi ipse

ipse quoque celeberr. Autor, reiectis aliorum opinio-  
nibus, suam hac de resententiam addit n. 21. seqq. E-  
quidem omnem hanc rem haud incongrue ita expe-  
diri posse existimo. Quamuis in iure Lubecensi sae-  
pius mentio fiat de coniugum bonis communibus,  
*von gemeinen, gesambten, ihrer beiderseits Gütern &c.*  
exinde tamen *qualitas* communionis cognosci nequit,  
sed, vti in praeced. §. iam indicauimus, a posteriori  
potius siue ab effectibus argumentandum erit. Iam  
vero in statuto hoc nostro duo in primis heic nota-  
da occurunt momenta; *primo*, quod, altero coniugum  
mortuo, superestes coniux partem quaedam bo-  
norum defuncti lucretur; \* *deinde*, quod, marito  
obaerato vel fugitiuo vel mortuo, siquidem liberi ex  
coniugio isto procreati adsint, debita ex utriusque  
coniugis bonis solui debeant. \*\* Haec autem duo,  
*lucrum scilicet & damnum alteri coniugum ex alterius*  
bonis obueniens, satis abunde ostendunt, *veram* siue  
*plenam*, quoad proprietatem scilicet & dominium, in-  
ter illos esse bonorum communionem, & licet illis in  
locis, vbi inter coniuges bonorum communio quo-  
ad usum s. quaestum saltim viget, alter coniugum  
alterius quoque debita soluere debeat & de bonis lu-  
cretur; Haec omnia tamen de damno & lucro ex bo-  
nis in societatem illatis proueniente, non autem de  
ipsa sorte siue ipsis bonis in societatem illatis, vti qui-  
dem in nostro fit statuto, intelliguntur. Posita vero  
omnimoda istiusmodi communione, hoc simul quo-  
que exinde sequi & cum COTHMANNO Conf. 74.  
vol. 2. affirmandum videtur, quod omnia coniugum  
bona,

bona, siue tempore initi matrimonii in societatem coniugalem illata, siue constante matrimonio vel ex negotiatione aut coniugum solertia vel aliunde etiam quoquo modo acquisita, fiant habeanturque communia: nisi in dotalibus aliisue pactis aliud conuentum & ab hacce communione quaedam bona speciatim excepta, vel in communionem hanc nunquam illata, sed distinctim semper possessa & administrata sint; adeoque contrarium a negante probetur.

\* Part. 2. tit. 2. art. 2. 3. 12. 28. Quale lucrum vocatur portio statutaria, eo quod statuta vni coniugum ex alterius etiam bonis, ratione communionis habita, partem siue portionem illam tribuant. Ab istiusmodi autem lucro ad veram communionem bonorum ideo recte concludimus, quod illis in locis, vbi vel nulla vel visualis tantum inter coniuges est communio, alterutro coniugum mortuo superstes sua quisque bona retineat recipiatue. Et cum communionis illud lucrum siue portio statutaria a mero statuentium arbitrio dependeat, hinc diuerso etiam modo de eadem disponere potuerunt & disposuerunt. Sicuti in statuto nostro distinguitur, vtrum liberi ex coniugio adsint nec ne? & illo calus superstes coniux omnium bonorum dimidiam simpliciter, hoc vero casu e.g. vxor dotem aliae illata praecepit & de reliquis bonis dimidiam nanciscitur. In veteri etiam Statuto Flensburgensi eadem habetur licet non tam accurata siue clara distinctio, sic enim ibi sancitum legimus cap. I. Steruet eyn Börger, und de Fruwe blift im leuende, so schall se nemen in aller Erffdelinge, und in allem Erve, so vele als de beste Erve (haec portio statutaria) und darenbauen schall se bebbten, eyn vollenkamen Bedde, und van dre par Klederen dat middelste, und van twe pare dat ringeste, und

van

van cynam pare nicties. hoc praecipuum) & cap. 6. Hefte  
eyn Börger und syne Husfruwe Kinder thosamende, und se  
stervet, alle Guth delex man entwey, de Vader nimbt de  
helfste, und de Kinder de ander helfste. Secundum sta-  
tutum Slesuicense autem distinctio ista non obtinet,  
vid. cap. 10.

\* P. 1. tit. 5. art. 7. & P. 3. tit. 1. art. 10. in quo vltimo  
hoc art. 10. per vocem bergen nihil aliud denotatur,  
quam quod aliam habitationem sive domicilium  
vxor sibi querere debeat, & locutio haec sumta vi-  
detur a militibus, qui in campum egressi primum  
laborem putant, capere idoneum metandis castris  
locum, quod heribergare ab her sive beer, exercitu, &  
bergen, custodiare, seruare, continere vocatur. vid.  
Beati RHENANI rer. germanicarum nov. antiqu. lib. 2.  
pag. 343. & 349. Deinde vox dachdings denotat tempus  
iure praescriptum, sicuti in speculo Sax. l. I. art. 21. binnens  
ibren rechben tagdingen dicitur. Auftragen autem bonis  
cedere significat, uti P. 1. tit. 3. art. 1. quo sensu etiam  
occurrit in statuto Hamburg. P. 2. tit. 11. art. 15.

### § IX.

Ne autem hypothesin illam, de communione  
omnium bonorum, proposuisse tantum videar; quae-  
dam adhuc addere lubet, quibus si non plene & apodi-  
stice atramen probabiliter demonstrari illa posse vide-  
tur. Quod si enim inter coniuges de iure nostro vera bo-  
norum est communio, vti omnes concedant oportet  
ac vel ex recensitis eius effectibus perse fluit: neque  
tamen in statuto expresse definitur, quae bona pro-  
prie sint vel habeantur communia; Sequitur omni-  
no, omnia coniugum bona esse talia & tam diu recte  
haberi, donec probetur contrarium. Id quod ex il-  
lis, quae in supra all. art. 2. 3. 12. & 28. tit. 2. p. 2. adhi-  
bentur,

bentur, locutionibus generalioribus, was alsdan übrig bleibt, was darüber ist, da noch etwas von dem gute darüber, was alsdan von der erbschafft wird über bleiben, quocunque nimirum siue omne id, quod, detractis rebus ibidem expressis, superfuerit, clarius adhuc eluet. Attendamus porro separationem liberorum, quod scilicet haec ab omnibus omnino parentum bonis fiat factave habeatur, \* & quod reliqua bona omnia, quae vel facta seperatione supersunt vel deinceps quoquo modo acquiruntur, ad superstitem coniugem liberosque non separatos pertineant. \*\* Ad eoque hinc affirmandum vtique erit, quod omnia quoque bona quavis ratione constante matrimonio quaesita coniugibus sint & haberi debeant communia. Quod ipsum etiam illa communio, quae mortuo coniugum altero inter superstitem coniugem & liberos continuatur, magis probat: Quando enim de hac communione e. g. P. 2. tit. 1. art. 3. dicitur, daß die Frau mit den Kindern in gedey und verderb besitzen bleibe, item, daß die Kinder, qui scilicet non separati sunt, in dem gesamten gute noch sūzen, nil aliud certe per locutiones indicatur, quam quod similis communio inter illos sit maneatque, qualis inter coniuges antea fuit. \*\*\* Illam autem veram, omniumque omnino bonorum quoconque modo etiam aliunde acquisitorum, communionem esse, ex dictiōnibus illis, gedey und verderb, gesamten gut, in d. art. & ex art. 16. tit. 2. P. 2. dilucide appetat; Proindeque cum hac etiam communione, quae scilicet inter coniuges est, similiiter comparatum esse, argumentandum erit. Ceterum

terum dictis hisce addatur notabilis ille casus art. 25.  
tit. 2. P. 2. definitus, vtpote qui hypothesin hanc mi-  
rum in modum firmat.

\* Nisi scilicet inter parentes & liberorum agnatos siue  
tutores aliud expresse pactum conuentumque sit. Et  
imprimis huc pertinet art. 2. tit. 2. P. 2. add. art. seq.  
quod autem hic etiam separatio de communibus si-  
ue viariusque parentis bonis intelligatur, exeo, quod  
de liberis in communione permanentibus in fine ar-  
ticuli subiungitur, satis liquet. Conf. Meuius ad P. 2.  
tit. 1. art. 6. n. 42.

\*\* Vid. P. 2. tit. 2. art. 6. 16. & 34.

\*\*\* Neque necesse erit, vt cum MEVIO in Comment.  
suo ad ius Lubec. passim & annexo ibid. Responso XII.  
communionem quandam fingamus, quae sit inter  
viuos parentes & liberos, quaeque deinceps, mortuo  
licet uno parentum, continuetur, cum illud com-  
munionis genus in Iure Lubec. nullibi fundatum sit,  
adeoque id, quod fundamento ac principio caret, per  
rerum naturam etiam continuari nequeat. Sed po-  
tius hic dicendum, quod superstes coniux eam com-  
munionem, quae ipsi cum defuncto iam coniuge ante-  
intercessit, continuet cum liberis, vtpote qui ius  
succedendi in defuncti parentis bona habentes hunc  
repraesentant, eiusve personam quasi induunt. Id  
quod ipse etiam MEVIVS in d. Resp. innuit p. m. 109.  
col. 2. ea, inquiens, quae est inter coniages ex statuto bo-  
norum communio, post alterius mortem reliqua communi-  
pro' perdurat & veluti continuatur. conf. HVBERVS  
in praelect. ad ff. Lib. 16. tit. 2. §. 13. pag. 430.

### §. X.

Verum enim vero, horum omnium quicquid  
fit, aliud omnino dicendum arbitror. Supra autem

C

iam

iam indicauimus communionis effectus , damnum  
scil. & lucrum, in primis considerandos indeque com-  
munionis qualitatem diiudicandam esse; iam vero,  
quando in iure nostro de coniugum bonis, horum  
communione eiusque effectibus sermo est, toties  
quoties de bonis tam ab vxore quam a marito illatis  
mentio fit, v.g. *was sie zu ibrem Manne gebracht hat* P.  
1. tit. 5. art. 5. *welches sie beide zusammen gebracht, es sey*  
*der Frauen zugebrachtes Gut, oder was sie mit einander vor*  
*Gut haben* ibid. art. 6. *ibr zugebrachtes Gut, sein zuge-*  
*brachtes Gut* P. 2. tit. 2. art. 28. & alibi. Hinc primo  
sequitur, illa in primis bona, quae tempore initi mat-  
rimonii in societatem coniugalem inferuntur, fieri  
communia, cumque indefinitae sint istae locutiones &  
a mariti aequa ac vxoris bonis adhibeantur, *omnia*  
etiam illa bona, siue dotalia sint siue paraphernalia,  
siue donatio propter nuptias siue morgengabe, in  
communionem venire. Atque hinc deinde hoc et-  
iam necessario fluit, quod omne illud damnum, &  
omnis ille acquaestus, qui ex istiusmodi communio-  
ne siue potius bonis communibus oritur, fiat utri-  
que coniugum communis. Id quod extra dubium  
est. Et ex hoc quidem fundamento regulam illam  
iuris civilis, qua omnia bona constante matrimonio  
acquisita solius mariti esse praesumuntur, apud nos  
cessare & illa potius pro communibus habenda esse,  
existimo.\* Quoniam autem saepius accidit, vt vnuis  
alterue coniugum constante matrimonio vel ex he-  
reditate vel ex donatione vel alio quoouis titulo lu-  
cratiuo absque sua opera quidquam accipiat; circa  
hoc

hoc ipsum praecipue quaeritur, anne scilicet id etiam propter illam, quae inter coniuges iure nostro introducta est, bonorum communionem adeoque ipso iure & vel sine actuali vel etiam mediante facta quadam traditione sive illatione, inter coniuges commune fiat, praescriptasque communionis effectus producat? Sed quaestione hanc simpliciter negamus; ob triplicem in primis rationem, primo, quod hoc ipsum in statuto nostro nullibi expresse definitur: deinde, quod in ipso statuto nostro dicatur, isthanc honorum inter coniuges communionem non tantam esse, quam quidem sit in societate generali sive uniuersali sive omnium bonorum, Part. 3. tit. 9. art. 5. proindeque honorum ista communio inter coniuges cum societate generali in specie sic dicta, qua scilicet ea tantum communicantur, quae in societatem inferuntur, quaeque deinde ex quaestu veniunt, sive titulo onerofo, negotiatione & opera acquiruntur, ceteris paribus recte compari potest: Et tandem tertio, quod vel vox illa, bonis coniugum in statuto subinde adiecta, zugebracht, satis ostendat, illa demum bona inter coniuges esse communia, quae in domum conjugalem sive in communionem inferuntur. \*\* Et ex dictis his sequens fluit regula, quod (1) omnia bona, constante matrimonio ex titulo lucrativo aliunde quae sita, habeantur unicuique acquirenti propria, indeque (2) nulla istiusmodi bona fiant communia, nisi quae in societatem conjugalem inferuntur, & hinc tandem (3) illa, quae in societatem hanc quoquo modo veniunt, habeantur omnino communia, nisi ab eorum domino aliud expresse cautum,

C 2

hicque

bicque statim ab initio de illis non communicandis protestatus fuerit.

\* Quod ipsum communionis ratio utique postulat atque effectus illius, & in primis quidem commune lucrum ex communibus bonis oriundum, satis nos docet.

\*\* Si igitur extra societatem domumque coniugalem unus vel alter coniugum bona quedam separatim possideat, haec ad communionem non pertinent; neque etiam heic distinguitur, vtrum improles sint coniuges, nec ne? cum hoc etiam casubona in societatem illarum in communione eiusque effectibus attendantur, id quod vel ex uno illo art. 10. tit. I. P. 3. clare appetat, vbi dicitur, quod liberos habens vidua creditoribus mariti relinquere debeat dominum & bona. Adeoque illa, quae in dominum vel bona mariti illata non sunt, ad communionem etiam non pertinent. conf. supra all. art. 6. tit. 5. P. 1. & art. 9. ibid. verbis, von iherer beyderseits Gut, item Statut. Hamb.. P. 2. tit. 11. art. 16. verbis: im Sterbhause und sonst vorhandene, und ihrem verstorbenen Ehemanne und ihr zugehörige beschwerre Güter.

### §. XI.

Diximus quidem in §. precedentibus, iure Lubencensi veram & plenam inter coniuges esse bonorum communionem, hancque cum illa communione, quae per contractum societatis generalis in specie sic dictae instituitur, quam maxime conuenire; Vnde sequi etiam videtur, illam, de qua nos hic agimus, communionem secundum generales omnis communionis & in primis societatis illius generalis regulas diiudicandam esse. Quoniam vero, vt itidem iam supra indicauimus, isthaec bonorum inter coniu-

ges

ges communio eiusque effectus ciuiles ex arbitrio statuentium maximam partem dependent; hinc etiam a communionis regulis aut a societate generali ad communionem hanc argumentari semper non possumus, sed ipsum potius statutum, & quid illud vel in genere vel in specie hoc illoque casu de communione ista & bonis communibus sanciuerit, inspicere & in decernendis litibus vel obuenientibus subinde questionibus sequi oportet. Adeoque & ego de doctrina aut artificiali, vt vocant, methodo curiosus non ero & cum clarissimus ille MEVIVS plurima hac de re diceunda in commentario suo ad nauileam fere usque exhauserit, quaedam saltim pro instituti ratione supra iam scriptis adhuc addam.

## §. XII.

Circa bonorum communionem vti in genere sic in primis quoque iure Lubecensi damni potissimum atque lucri rationem haberi, ex §. 8. constat. Non incongrue ergo hic quaeritur, numne coniuges per dotalia sive etiam alia pacta, de lucro vel damno isto non communicando pacisci, aut communionem bonorum vel arctioribus vel amplioribus limitibus circumscribere sive etiam plane tollere valeant? Et respondetur cum distinctione. Affirmamus enim, si de ipsis contrahentibus inter se eorumque heredibus sermo est, et quidem de pactis dotalibus eisque successoriis, utpote ubiuis fere locorum in Germania receptis, simpliciter: de pactis autem constante matrimonio initis tum demum illud concedimus, si alter coniugum inde non locupletetur, cum istiusmo-

C 3

dī

di lucri in primis ex communione alias competentis renunciatio in effectu nil aliud quam donatio, haec autem inter coniuges suspecta semper adeoque legibus plerumque prohibita vel minimum inualida & reuocabilis sit.\* Et proinde iure Lubecensi quidem illo etiam casu, a parte mulierum, tutorum vel curatorum &, si liberi adsint, horum consensum requiri nec non cuilibet proximorum heredum octo solidos & quatuor nummos de istiusmodi etiam lucro relinqui debere, vtique existimo, arg. art. 1. 2. tit. 4. art. 2. tñ. 9. & art. 1. tit. 10. Parte 1. Si vero pacta illa ratione extraneorum siue creditorum in primis consideres, pure & simpliciter neganda est quaestio ista, & pro inualidis omnino ac ipso iure nullis habenda sunt istiusmodi coniugum pacta, etiamsi vel iuramento confirmata fuerint, nisi forte publice promulgantur sive que in aliorum notitiam perueniant. Atque huius quidem asserti ratio per se patet, quod scilicet ex duorum pactis siue contractibus tertio eique ignorantia contra expressas leges aut statuta praeiudicium fieri nequit. Et hoc generaliter verum est.\*\* Statutum autem nostrum speciatim quod attinet, omnibus liquet, communionem bonorum inter coniuges per illud obtainere, atque expresse ibidem dispositum esse, vt debita constante matrimonio contracta ex communib[us] vtriusque coniugis bonis soluerentur; ita quidem, vt si liberi ex matrimonio procreati non adsint, vxor dotis saltim sortem ac illata recipere, de bonis autem ex communione quae sitis indistincte, & si liberi sint superstites, tam ex communiter quae sitis

sitis quam ipsis in communionem illatis bonis nomina solui debeant, vid. P. 1. tit. 5. art. 5. & 7. item P. 3. tit. 1. art. 10. Quodsi itaque huic expressae statuti dispositioni contrarium quid sponsus sponsave siue etiam coniuges paciserentur, id ipsum in apertam legis & creditorum fraudem fieret, quod autem nullo modo admittendum est. \*\*\* Accedit, quod mercaturaem promouenda ratio communionis illius per statuta introductae praecipua sit causa. Iam vero si coniugibus concederetur communionis tollendae facultas, tum certe non tam facile quis marito pecuniam aut merces credere, sive laudabilis & reipublicae salutaris ille finis statuto intentus potius cessare foret. Quod statuere, absurdum. Quin imo ex hac ratione omnino quoque existimo, ne coniugibus quidem concedendum esse, ut promiscue, & quandocunque sibi libuerit, istiusmodi pacta facere possent, licet etiam illa publice promulgare velint; sed potius vel per publicam legem istiusmodi pacta prorsus inhibenda, vel ad certos casus restringenda, vel minimum non nisi cum autoritate publica & cause cognitione facienda atque tum demum in publicum notificanda esse. \*\*\*\*

\* Vid HVBERVS in praelectionib. ad ff. lib. 17. tit. 2. §. 13. pag. 430. seqq. item TITIVS ad Lauterbach. observ. 779. pag. 530.

\*\* conf. idem HVBERVS l.c. §. 12. pag. 428. ceterum hanc quaestionem etiam attigit MEVIVS ad ius Lub. P. 1. t. 5. art. 7. n. 81. seqq. quem vide. Imo Statutum eiusmodi, quod pro debitis mariti etiam obligat vxorem, ne tum quidem cessare vel vim suam perdere, licet

licet vxor in pactis dotalibus aduersus bonorum communionem protestata fuerit & Senatus confirmacionem impetraverit, docent Ioh. CÖPPEN lib. 2. obseruat. practicabil. 5. n. 19. 20. & Ioach. WIBELIVS de contractib. mulierum cap. 5. n. 115. pag. 302. qui conclusionis huius hanc reddunt rationem, *quod nim. quemadmodum ius publicum priuatorum pactis immutari nequit & nemmo, ne quidem in testamento facere potest, quo minus leges in suo testamento locum habeant, ita etiam nec coniuges per pacta priuata facere possunt, quo minus ius publicum ciiuitatis alicuius, quoad exsolvenda ipsorum debita, in eorumdem bonis locum habeat.* Sicuti etiam eandem praeiudicio tali confirmant: *Als ihr uns &c. Demnach sprechen wir nach fleissiger verles- und erwegung vor Recht, daraus so viel erscheinet, weil gedachter Rabt zur Nohtdurft erhaertet, daß des Obrts zu N. durch rechtliche Gewohnheiten eingeführet, und durch vielerley attus bescheiniget, daß das Weib des Mannes Schulden, wie auch der Mann des Weibes Schulden von ihren eigenen Gütern, Ein- und zubringen bezahlen helfen müssen, und ihrer wöchlichen Gerechtigkeit oder Statutariae successionis die Frau sich eher nicht, dann bis des Mannes Schulden alle bezahlet, zu erfreuen: Als wird sie auch mit ihrer Praetension, so sie durch ihre Ehestiftung zu erweisen sich bemühet, als unerheblich abgewiesen, und ihres Mannes Creditoren in die gemeine Güter, so weit die zulangen, billig verholffen V.R. W.*

\*\*\* Neque simpliciter affirmandum erit, istiusmodi coniugum pacta valida esse vel esse debere, licet ista publice innotescere faciant, sed & heic semper etiam addenda aut subintelligenda est limitatio: *Nisi fiat in fraudem legis vel creditorum.* Cum alias e.g. marito iam obaerato isthaec etiam pacta fieri possent; quo tamen casu vti nec ipsa pacta ita nec eorum publicatio ad salvanda quaedam communia aut vxoris bona quidquam proderit.

\*\*\*\* Ex

\*\*\* Ex dictis etiam facile colligitur, quid de illo causa sentiendum, quem in praeteriti nundinis Kilonieribus, vulgo *Vm'schlag* dictis, disceptationi ansam dedisse audiuimus. Nimurum lege publica & quidem in der Schleswig-Holsteinischen Landgerichts-Ordnung part. q. tit. 10. sancitum, validas esse foeminarum nobilium obligationes, modo SCto Velleiano sub fide nobili & iuramenti loco, postquam de tenore huius beneficii certiores redditae sunt, renuncauerint. In facto autem contigit, Nobilem quandam, dum filiam elocaret, in pactis dotalibus sibi ac filiae prospexit, vel peculiares hoc nomine accepisse literas, quas versales vocant, ne illa dotem *vlla ratione alienare vel se pro marito obligare possit*. Nihilominus filia pro mari- ti debitis, cum renunciatione iurium ac beneficiorum, se ac bona sua obligavit: Quaeritur, num obligatio ista, per dispositionem pactorum dotalium vel vigore literarum reuersalium infirmetur? Quod omnino negandum puto, legi enim publicae, quae intercessiones foeminarum ratas esse vult, per pacta priuatorum, praesertim quando haec ad aliorum notitiam haud peruenenterunt, minime derogari potest, nec bona fides patitur, vt mulier creditores ad fidem sibi habendam inducat, postea vero, sub specie eiusmodi pactorum clam initorum, petitiones illorum eludat.

### §. XIII.

Quod communionis effectus maxime in soluendo aere alieno sese exerat, quodque solutio illa de communibus bonis fieri debeat, nec portio statutaria siue communionis lucrum, nisi deducto prius de communibus bonis aere alieno, intelligatur ac computetur, dubio caret. Cum vero maritus magis

D

quam

quam vxor nomina contrahere soleat, ideoque, si de his serm<sup>e</sup> est, a marito contracta illa esse communiter habeantur, & hinc plerumque etiam statuta de marito obaerato loquantur; de hoc quoque, marito scilicet obaerato, potissimum erit dicendum &, quae circa hancce inprimis materiam nobis inter meditandum subnata sunt dubia, paucis adhuc inquirendā. Ponamus enim casum. Sempronius duxit vxorem Caiam, & vterque illorum in societatem coniugalem intulit 2000 Imperiales: maritus extra communionem hanc solus possedit vel sibi soli habuit summam 2000 thalerorum: \* Postea Sempronius moritur \*\* relictis post se liberis, & inueniuntur nomina, constante matrimonio contracta, 3000 thal. Quae-ritur ergo, ex quibusnam bonis nomina isthaec soluenda sint? Et aes quidem alienum durante matrimonio, vbi nimirum inter coniuges est communio, contractum de communibus vel vtriusque coniugis bonis, von gemeinsem Gut, von ihrer beyderseits Gut, foluendum esse existimatur, sicuti etiam in statuto nostro P. I. tit. 5. art. 7. ita sanctum legimus, verbis: so soll dieselbe (Schuld) bezahlet werden von ihrer beyderseits Gut: conf. P. 2. tit. 2. art. 26. & 28. Vnde hoc sequi videtur, in proposito casu totum illud debitum, scilicet 3000 thaleros, ex bonis in societatem vtrinque illatis foluendum, & reliquos 1000 imperiales inter viduam & liberos communicandos vel diuidendos, illos autem 2000 thaleros separatim a marito habitos solis liberis, tanquam proximis heredibus, relinquendos esse. Quoniam yero in iure nostro non in-

inuenimus expressum, qua ratione in eiusmodi ca-  
su, quando extra communionem maritus forte bo-  
na quaedam habeat, solutio instituenda & portio sta-  
tutaria computanda sit: deinde maritus, tanquam  
principalis rerum communium administrator, aes  
alienum praecipue contraxisse censetur: tum etiam  
illo casu, respectu vxoris, de damno potius vitan-  
do quam de lucro captando agitur, &c., nisi vel hoc  
esset, attamen lucri aequa ac damni ex communi-  
ne prouenientis ratio habenda est; Hinc vtique et-  
iam putarem, debitum ante omnia ex propriis vel  
separatis mariti bonis &c., si illa ad hoc non suffici-  
ant, tum demum id, quod restat, ex bonis vtrin-  
que communibus soluendum esse, conf. omnino ME-  
VIVS ad ius Lub. P. 1. tit. 5. art. 7. n. 58. seqq. Quam  
sententiam vtpote benignioremerito hic sequi-  
musr, ac in primis illos Sempronio proprios 2000 &  
de communibus bonis 1000 saltim thaleros ad soluen-  
da debita adhibendos, reliquos vero communes 3000  
inter Caiam huiusque liberos diuidendos esse existi-  
mo. \*\*\*

\* Quod si enim omnia omnino mariti bona cum vxo-  
ris suae bonis communicata sive commixta sint, quod  
in dubio semper presumendum erit, aliter scilicet res  
habet & in iure nostro clare satis definita est.

\*\* De fugituio autem hic ideo non loquimur, quia hoc  
casu a nobis proposito maritus non facile fugiet.

\*\*\* Fingamus vero, liberos non aedesse, tum Caia praeci-  
peret dotem sive illata sua 2000, deinde, ad soluen-  
da debita 3000, separata illa Sempronii summa 2000 &  
ex reliquis ipsis in communionem illatis 2000 adhi-

berentur 1000. Postea vero, debitis hac ratione solutis, vidua de reliquis 1000 acciperet dimidiam, nempe 500. Vid. *Ius Lub.* P. 1. t. 5. art. 5. & P. 2. tit. 2. art. 12. In quo primo loco verba: *darnach soll man von seinem Gute alle seine Schuld bezahlen*, cum effectu utique erunt intelligenda: Et hinc etiam illa, quae de casu in §. proposita dicta sunt, magis adhuc fiunt clariora: idque in primis, cum ibidem al. art. 7. tit. 5. P. 1. nec non art. 10. tit. 1. P. 3. de illis tantum casibus, quando nimurum maritus, ut loquitur d. art. 10. in *Schulden vertieff*, siue soluendo non sit & animam debeat, intelligantur, adeoque ad casum illum nostrum applicari non possint.

#### §. XIV.

Quid autem de casu isto in praeced. §. proposito dicendum, si Sempronius mercator & vxor eius Caia mercatrix fuerit, vnamque simul ambo vel vxor sola tabernam exercuerit? Tum certe existimarem, debita occasione mercaturae & ab vxore\* aequae ac marito contracta haberi, ideoque de communibus solummodo bonis solui debere, siue utriusque vel viuis tantum coniugis culpa, siue etiam causus vel aduersa fortuna contrahendorum debitorum causa fuerit. Praesertim si appareat, mercaturam debitum illis contrahendis occasionem dedisse, quod in dubio praesumitur; vel etiam, si forte Semproni illa bona in societatem coniugalem non illata commode exige nequeant. Et ita quidem propter commerciorum fauorem, ut pote quem in interpretando & applicando statuto nostro ob oculum semper habere debemus, iudicandum duco, cum alias metuendum sit, ut mercatoribus tam facile nummi & merces crederen-

derentur, si nimirum creditores, quod ex communibus coniugum mercantium bonis debita solui debeant, certi haud sint, sed illos de recipiendo mutuo cum debitoris vidua litigare prius oporteat. Hoc itaque, quem diximus, casu debita 3000 de communibus siue illatis 4000 soluenda essent & illorum reliqua 1000 ad vi- duam & liberos pertinenter. De illis autem 2000, quae Sempronius in communionem coniugalem nunquam intulit, sed separatim semper \*\* administravit, vi- duia quoque nihil accipiet. \*\*\* Sicuti etiam pari ra- tione maritus, mortua vxore sua, de bonis illius in communionem haud illatis nihil quicquam lucra- tur. Quin potius secundum ius nostrum de com- munionis coniugalnis damno & lucro haec generalis obtinet regula, quod aes alienum non nisi de bonis commu- munibus solui & similiter quoque portio statutaria ex com- munibus tantum bonis sumi debeat. \*\*\*

\* Quoniam illa hoc casu absque curaforis mariti con- sensu emere, vendere, oppignorare, aliosque contra-ctus facere potest. Vid. Ius Lub. P. 1. tit. 10. art. 1. item P. 3. art. 13. & 21.

\* Aliud vero dicendum erit, si forte maritus, siue ille mercator sit siue non, sortem quandam cum vxoris siue bonis commiscuerit aut coniunctim admini- strauerit, postmodum autem illam ab his iterum se- parauerit, hunc quidem in finem, ne post mortem siam vxor lucruin exinde capiat, vel etiam, vt aere alieno ex communibus adeoque potissimum vxoris quoque bonis soluto, sortem illam sibi suisue here- dibus seruet. Existimo enim, eiusmodi variationes marito aequa minus quam vxori licere, sed illud, quod in communionem hanc coniugalem, statuto

munitam, semel illatum est, semper etiam pro communi habere, eique simul ac semper omnes quoque communionis huius effectus tribuendos esse.

\*\*\* Quomodo hoc casu, si liberi existant, procedendum sit, satis quoque patet. Nimirum, vidua praeciperet illata 2000, deinceps ad soluendum aes alienum sumerentur mariti illata 2000, & ex separatis illius bonis 1000, horum vero reliqua 1000 ad mariti heredes peruenirent. Atque sic quidem vidua acciperet nihil.

\*\*\* Confer sis, quae dicta sunt supra §. 10. Ceterum quod ratione solutionis aeris alieni de iure Lubecensi notauimus, id secundum ius Hamburgense aliter se habet, vbi Parte 2. tit. 5. art. 10. cautum est, daß nicht allein der Frauen eingebrachter brautschatz, sondern auch alle andere ihre in stehender Ehe angeerbt Guter vor ihres Mannes Schülde gänzlich haftten und gehalten seyn sollen.

### §. XV.

Occurrunt adhuc alia quaedam dubia. Nimirum quotidiana experientia testatur, quod mares pariter ac foeminae, de contrahendo matrimonio cogitantes, ad conciliandas eo melius nuptias sive ipsi sive per internuncios ampla sua bona, magnas fortunas & opes, pingues dotes & alia mirum in modum semper fere praedicent atque extollant, cum tamen deinceps, post celebratas iam nuptias, evenitus quam sèpissime longe aliud & haud raro id doceat, quod, detracto aere alieno, vel parum vel nihil etiam in bonis habeant.\* Vnde primum haec suboritur quaestio, siquidem in muliere id accidat, anne haec, mortuo postea marito diuite, portionem etiam statutariam habere debeat? Quod primo quidem intuitu negandum videtur, cum portio isthaec statu-

statutaria nil aliud sit, quam lucrum, quod ex communione bonorum prouenit; iam vero, si mulier nulla habuit bona in societatem sive domum coniugalem inferenda sive illata, nulla etiam communio adeoque nec lucrum illius intelligi poterit, iuxta metaphysicorum regulam, quod non entis nullae sint affectiones. Sed vero, quoniam ex antea dictis ac in primis quidem ex illis in statuto nostro non semel adhibitis loquendi formulis: *was alsdan übrig bleibt, was darüber ist &c.* satis liquet, omnia etiam illa, quae in societate coniugali sive vnius tantum sive vtriusque coniugum industria vel opera adquiruntur, & mortuo alterutro coniuge in domo coniugali reperiuntur, esse atque haberri communia; \*\* Neque vnuquam hic distingui, vtrum superstes coniux in communionem aliquid intulerit nec ne; Et cum praeterea portio illa statutaria non tam vt bonorum communionis lucrum, quam potius tanquam amoris \*\*\* coniugalis praemium consideretur; \*\*\*\* hinc quaestionem illam affirmandam & vxori, etiamsi in domum mariti parum aut nihil intulerit, portiōnem statutariam tribuendam esse sentio. Atque haec sententia per ipsum Statutum nostrum magis adhuc confirmatur, quando in art. 25. tit. 2. P. 2. dicitur, si coniuges omnibus facultatibus labantur, also, aaß sie von bloßer hand und von neuen wiederum etwas an sich bringen und erwerben, hoc casu nihilominus vxorem, mortuo marito, non solum dotem suam praecipere sed, quod maxime huc pertinet, de reliquis etiam bonis nouiter acquisitis dimidium capere.

\* Sic

\* Sic quidem seculi *lmorem*, *fallere & falti*, circa hanc quoque societatem, omnibus licet & diuinis & humanais legibus fundatam, vslitatum esse videmus. Dolum autem hic subesse, nemo negabit: num vero dulus iste *bonus* an *malus* dicendus sit, alia est quaestio. Et, supposito duas dari species Doli, distinguendum foret, vtrum istiusmodi artes ad impecrandum saltim consensum nuptialem, cum omnia reliqua iam bene se habeant, an vero non tam ex puro erga defideratain amore, quam potius ad captandam dotem & bona ipsius adhibeantur, contra ineundi matrimonii & amicitiae coniugalis regulam, quam vid. in L. 11. pr. C. de *repudio*: Si prius istam iactantiam ad dolum bonum: si posterius, ad dolum malum illam forte referre licet. Rectius tamen faciunt, qui nihil de facultatibus suis promittunt, quam quod reipsa praestare semper possunt.

\*\* Quam in rem plura vide haud vulgariter scripta in Ioh. STRAVCHII diss. de *iure maritorum in uxores res que uxorias*, hab. Ienae 1671. Sect. 4. classe 1. membr. 2. §. 4.

\*\*\* Adde, & molestiae. In matrimonio enim multas omnia molestias vxorem pariter ac maritum comitari, apud expertos constat.

\*\*\*\* Si enim communionis tantum haberetur ratio, sequeretur etiam, vt portio statutaria vxori adulteranti adimi & marito, in illatae scilicet iniuriae compensationem, addici nequeat, quod tamen fieri, notum est, & ideo potissimum fit, quod vxor amorem coniugalem violans praemio se reddiderit indignam. Qua de re conf. MEVIVS ad ius Lub. P. 2. tit. 2. art. 12. n. 414. seqq. Ioh. Christiani SCHROETER diss. de *portione coniugum statutaria*, hab. Ienae 1732. tb. 1. §. 23.

## §. XVI.

## §. XVI.

Deinde, si forte vir quidam his artibus foeminae diuitem ad contrahendum cum sese coniugium allegerit, postea autem pauper ille & *patrimonium*\* ipsius, detractis nominibus, vel nimis paruum vel plane nullum deprehendatur, quaestio est, vtrum debita, postmodum constante matrimonio a marito contracta, de vxoris dote & aliis bonis in domum siue societatem coniugalem illatis, solvi debeant? Et affirmandum esse censeo, quia *primo* generatim per statutum communionem bonorum inter coniuges stabilitam & bona ab vxore ad maritum allata huic quoad dominium siue proprietatem communia adeoque ex his etiam mariti debita, existentibus nempe liberis, soluenda esse, constat: Quod si itaque secundo alii, vxorem bene dotatam esse, compertum habeant, his suppositis atque hac ex ratione, marito pecuniam mercesve eo facilius credunt, quod certe neutquam facerent, si generalem illam Statuti regulam hoc casu non valere, timendum esset: Tum etiam *tertio* haud facile quis prudens patrimonii sui vires & in primis paupertatem suam diuulgare, sed potius omni modo celare solet,\* vt proinde Creditores quam saepissime fallerentur, si iste communioonis coniugalis effectus & generalis illa statuti regula hoc casu cessare deberet: Et demum *quarto* eiusmodi vxor nil habet, quod de iniquitate quadam queratur, sed sibi imputet, quod vel sciens viro obaeato nupserit, vel etiam in facultates ipsiusque patrimonii vires non prius inquisuerit; Vtique enim

E.

casu

casu culpam commisisse & in solutionem futuri debiti maritalis consensisse censenda est. Quid autem dicendum, si mariti bona ad soluenda ipsius debita ante initum matrimonium contracta non sufficiant, numne etiam mulier de bonis suis illa simul soluere teneatur? Hoc certe, quemadmodum semper omnino, sic praesertim etiam in casu supra posito aequitati quam maxime contrarium adeoque simpliciter negandum esse totus mihi persuadeo, & hoc quidem ex rationibus a MEVIO ad Ius Lub. P. 1. tit. 5. art. 7. n. 31 seqq. iam adductis. Quibus accedit, quod in Statuto Hamburgensi nostrae nomothesiae in plerisque aemulo ac declaratorio, haec res clare definita sit. Parte 2. tit. 5. art. 11. Sed & alia huc pertinet quaestio, si forte maritus debira ante matrimonium contracta de vxoris suae bonis soluerit, num vxor bona ista sua a mariti creditoribus repetere possit? Et puto, non posse, nisi creditores tempore solutionis sciuerint, solutionem illam in fraudem vxoris a marito fieri. \*\*

\* Patrimonium quidem germanice dicitur *das värenliche Erb-Gut vel dat vaderlike Erve*, hereditas sive bona paterna, unde etiam nomen habet. Ceterum vero ex communi loquendi vsu omnia *virorum* in primis bona denotat, sive illa a patre profecta, sive aliunde & vel propria industria acquisita sint. Et hoc sensu etiam patrimonium hic intelligi volumus, sicuti eadem significatione in statuto Hamb. P. 2. tit. 11. art. 10. dicitur *des Bräutigams patrimonium*.

\*\* Quod autem maritus vxoris suae, ex qua liberos genuit, dotem & illata liceat alienare ac in quoscumque etiam proprios vsus suos vertere possit, dubio caret & ipsa plenae communionis sive dominii ratio distractar

ditat; Ut proinde talis vxor illam rerum suarum alienationem nullo modo impedire, quin imo ne fiduciiflores quidem ideo a marito postulare valeat, arg. art. 8. & 10. tit. 5. P. 1. conf. HVBERVS in praecl. ad ff. lib. 17. tit. 2. §. 8. pag. 425.

## §. XVII.

Silentio etiam hic praeterire non possumus, quae circa bonorum communionem eiusque effectus, portionem scilicet statutariam & solutionem aeris alieni, ratione bonorum in aliis territoriis sitorum quam saepissime moueri solent lites. Et sicuti omnes fere quaestiones de conflictu statutorum a Doctoribus disputari solitae, ita in primis etiam hac in re multis difficultatibus & dubiis sunt obnoxiae. Nos quidem hic generalem in primis & omnibus Doctoribus probatam hanc supponimus regulam: *Bona cuiusque loci subiace-re legi vel statuto eius, ubi sita sunt, iura autem localia, siue in rem siue in personam concepta fuerint, minime pertinere aut applicanda esse ad bona extra territorium sita, licet etiam haec maiorem patrimonii partem constituant, vid. MEVIVS ad ius Lub. quæst. prælim. 3. n. 43. & quæst. 6. n. 10. 18.* Atque hinc porro concludimus, quod ex illis bonis, quae maritus vel vxor extra territorium siue locum coniugii possidet, alteri coniugum neque portio statutaria competit, neque vxor de istiusmodi bonis suis aës alienum mariti siue constante matrimonio contractum soluere teneatur: \* quemadmodum etiam in genere supra §. 10. notauiimus, quod ad communionem hanc requiratur *illatio*, \*\* quodque adeo etiam coniux extra communionem bona quaedam habere possit; Illatio autem bonorum in primis eorum, quae in alio ter-

ritorio, siue ibidem communio inter coniuges vigeat siue non, sita sunt, nunquam praesumitur, sed, quoniam illa factum aliquod denotat siue in facto consistit, ab affirmante semper probanda est. \*\*\* Ex dictis autem his prono etiam alueo fluit, quod vxori de bonis suis in alio territorio sitis & in societatem coniugalem siue communionem nunquam illatis secundum quidem iura loci rei sitae, tanquam domina inter viuos siue mortis causa disponere, ea vendere, op-pignorare & quocunque modo alienare possit, adeo que illud quod in iure nostro e. g. P. 1. tit. 10. art. 1. & P. 2. tit. 1. art. 10. 14. *& alibi de foeminiis eorumque actionibus ciuilibus cautum est, huc applicari nequeat: item, quod maritus secundum iura communia, quae hoc casu sequimur, istiusmodi vxoris suae bona absque speciali & expresso illius consensu alienare aut alio quodam modo de illis disponere non valeat, princ. I. quib. alien. licet vel non.* Nouella 61. item cap. 28. X. de iure iuri. & cap. 2. X. de iure iuri. in 6. Idque praeferit si de immobilibus & hereditariis bonis sermo est iure nostro multo magis obtinebit, cum hic etiam illata isthaec bona alienandi facultas demta sit marito, nisi vxor & liberi consentiant, P. 1. tit. 5. art. 9.

\* Confidem MEVIVS P. 3. Decis. 125. & ad ius Lub. P. 1. tit. 5. art. 7. n. 48. seqq. Quae autem ille de communio-nis damno & respectu vxoris tantum ibidem differit, ea ex regulis oppositorum ad lucrum siue portionem statutariam quoque & tam ratione mariti quam vxoris intelligenda & applicanda sunt, cum statutum utriusque illorum hanc tribuant.

\*\* Illatio autem ista intelligi & fieri potest duobus po-tissimum modis, (1) quando vxor in mariti, vel vi-  
ce

ce versa, maritus in uxoris domum venit atque sic bona sua illuc secum quasi apportat, quod proprie *in-  
ferre* dicitur: & quoniam inde sequitur, quod illatio  
proprie talis ab uno saltim Coniugum fieri possit,  
hinc (2) bona illius coniugis, ad quem alter accedit,  
eo ipso cum huius bonis communicantur siveque per  
fictionem quandam in communionem inferuntur.  
Ut proinde illatio illa in *veram & factam* recte diuidatur.

\*\*\* Quamvis enim per statutum ipso iure inter novos  
Coniuges fiat bonorum communio, hoc tamen non de  
omnibus, sed de illatis tantummodo intelligitur de  
quo supra §. 10. ideoque eo minus ad bona alibi sita  
extendi potest, nisi de expresse facta illorum com-  
munione constet. Posse autem etiam bona extra  
territorium sita per speciale pactum inter coniuges  
quoad dominium communicari, & si factum hoc  
probetur, effectus etiam communionis secundum sta-  
tuta loci, ubi coniuges viuunt, exinde produci, nemo  
certe negabit.

### §. XVIII.

De foeminarum quoque intercessionibus & fideiue-  
tionibus olim ac in hunc fere diem a Doctoribus utramque  
in Partem disputatum esse constat, utrum scilicet illa seque-  
suaque pro aliis & in primis etiam pro maritis suis valide  
obligare possint? item, an beneficiis ob imbecillitatem se-  
xus & lubricum iudicium a legibus sibi concessis cum iuris  
effectu renunciare valeant? item an renunciationes istae  
iurato fieri debeant, an vero absque iuramento factae suf-  
ficiant? Quoniam vero haec & plura alia huc pertinentia  
ulterius inquirere, nec instituti nostri ratio, nec tempus  
permittit, cupidum beneolumque lectorem ad B. Georg.  
BEYERI positiones ad ff. lib. 10. tit. 1. pag. 305. seqq. & illustrissi-  
mi THOMASII notas ad ff. pag. 185. seqq. remitto, utpote qui  
duumviri de iurisprudentia & Romana & Germanica me-  
ritissimi, circa hanc rem, quid hic, quid illic, quidque in  
praxi

praxi obtineat, quid iustum, quid aequum, quid iniquum sit, satis superque nos docent. Id tantū de renuntiationibus mulierum addo, quod apud veteres Germanos istiusmodi foeminae, ad alitorum fraudes nec non futuras lites eo melius evitandas, in loco iudicij & solenni quodam ritu, cinnum scilicet de sinistro humero super pectus dependentem nec non baculum a Iudice huic admotum & sinistram mammam dextram manu tangendo, beneficiis suis renunciauerint, siue bona sua vel alienauerint vel pro aliis obligauerint. Et sane non inutile foret, si ad hoc exemplum etiam apud nos fideiussiones ac renunciations non quidem cum eiusmodi ritu ac iuramento, sed iudicialiter saltem idque praeuia semper causae cognitione fierent. Ceterum de iure nostro Lubecensi specialiter cautum est, quod mulier sine curatorum consensu tantum ad summam  $\frac{2}{3}$  humorum pro extraneis, & vxor improlis non nisi meratrix fuerit aut priuilegiis suis renunciauerit, pro marito fideiubere possit, vid. P. 1. tit. 10. art. 1. & tit. 5. art. 7. Vxor autem, quae liberos habet, viuo marito pro aliis plane fideiubere nequit, & pro marito fideiubens superfliuum facit, cum ipso iure ad soluenda ipsius debita obligatur. Adeoque hoc casu SCtum Velleianum & Authentica si qua mulier plane hic cessant.

\* Solemne istum renunciationis modum Rotwilae in iudicio Caesareo visitatum refert WIBELIVS de contra-  
stib. mulier, cap. 5. n. 148. pag. 310. & ECCARDVS in LEIBNITII collectan. Etymolog. part. 1. pag. 222. & ibid. pag. 231. in renuntiationibus mulierum moris fuisse, per-  
hibet, daß sie in Gegenwart der Zeugen den Handschuh, welcher ihnen nach Gebrauch unser Landes-Abt dargeboten, mit ihren Händen angerüttet, auf freyer Kaiserlicher Land-  
Straße mit Worten und Werken, mit gelahrten Worten: si-  
ue etiam renunciations illas fieri, auf der Reichs-Straße  
und an der Stette, da man sich solcher Sachen billig verzie-  
hen und angeben soll.

T A N T V M .


**ULB Halle**  
004 367 324

3





Farbkarte #13



DISSESTITO SOLEMNIS  
DE  
**COMMVNIONE**  
**BONORVM INTER**  
**CONIVGES EIVSQVE**  
**EFFECTV**  
PRAESERTIM  
SECUNDVM IVRA LVBECESTIA,  
QVAM  
EX DECRETO AMPLISSIMI ICTORVM ORDINIS  
PRAESIDE  
**DN. FRANCISCO ER-**  
**NESTO VOGT,**  
I.V.D. INSTITVT. ET PRAXEOS IVRIS PROFES-  
SORE, CONVICTORII DVCALIS INSPECTORE  
ET COLLEGII IVRIDICI H.T. DECANO,  
PRO LICENTIA  
SVMMOS IN IVRE HONORES ET PRIVILEGIA  
DOCTORIS CONSEQUENDI  
PUBLICO ERUDITORVM EXAMINI SVBMITTIT  
AD D. XI. FEBRVARII MDCC XXII  
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS  
IN AVDITORIO MAIORI  
**HENRICVS WILHELMVS**  
**SCHUMACHER, LVBEC.**  
REGII DICASTERII RATZEBVRGENSIS  
ADVOCATVS ORDINARIVS.  
KILIAE, LITTERIS HAEREDVM B. REVTHERI.